
DANTES ALIGHIERIUS AD ITALOS







DANTES ALIGHIERIUS

AD ITALOS





Florentiæ, e Typographeo a S. Antonino, 1867.

Elegia

Qui solem, stellasque regit, me misit ab astro
Mercurii, ut vobis dura et amara loquar.
Hic inter Iotti turrim, Sanctique Ioannis
Te coram lassus, patria, sisto via.
Non quod me nimium sero, Florentia, honores,
(Post quæ sum passus, sunt nihil ista) queror.
Sum bene Ravennæ, procul hac quæ me expulit urbe
Vivum, me dignum dixit et esse rogo.
Scilicet haud curo, quas dat mihi natio laudes
Despiciens, Musæ quæ cecinere meæ.
Quomodo sic animo aversi celebrare potestis
Doctrinam, ex alto quæ mihi lata fuit?...

An mea non illos damnat Comœdia, Christi
    Qui lacerantque gregem, destituuntque Fidem?
Quis vestrum, pudor heu! tria regna existere credit,
    Præmia danda bonis, suppliciumque malis?
Vento omni rapti sacros contemnitis ipsi
    Libros, Christiadum quæque Magistra docet.
Ius vanæ libertati, verumque, piumque
    Subditis, in summum fertis et ora Deum.
Heu qui Pastorum, Papæ, legumque sacrarum
    Spretus! virginei quot lacrymæque chori!...
Pilati en rursus, clamores, jurgia, Judæ,
    Damnati insontes, pœna remissa reis!...
Impius impune passim zizania spargit,
    Et tales fructus gens male cauta legit.
Contra aras artes, quibus Itala natio culta est,
    Vertunt; quin prohibent, ne tueamur eas...
Sic fas, et ratio pervertitur, atque popellum
    Ducunt, in stygiis quos decet esse locis.
Gens vecors! regnum vis supra condere petram
    Oppositam petræ, qua Petrus usque sedet?...
Quæ signa, ut possis, tenus hac tua facta dedere
    Ingenii firmi, consiliique cati?
Orator nullus, sapiens, circumspice, nullus...
    Sed solum clamor vanus ubique sonat...
Sunt ubinam fortes, doctus, sanctusque Senatus,
    Et leges æquæ?... Tullius, atque Cato?...

Pauca statuta facis ludendo, et plurima verba:
Turpia commisces, vanaque multa bonis.
Consilium expectas alienum in pace vel ipsa:
Serva usque externis oscula das manibus...
Ostentas æquum, libertatemque, sed omne
Arbitrium est, tractat juraque inepta manus.
Errores saltem vitasses, ira maligna
In quos nos traxit, dissidiumque vetus!
Forsitan Italia a vobis unita fuisset,
Sicque unus populus, lexque, ritusque foret.
Sed patriam Ghibellini, Guelphique novelli,
Rubri, Albi, et Nigri dissecuere meam!
Multi immo certant dominari ferreque leges,
Pessimus est quorum scriptor ephemeridum.
Communi a sensu sententia cujus aberrat,
Et solum, ut feriat, spicula acerba jacit.
Pulchra o libertas Romana, atque Attica prisca
Corrumpi cives non ita passa tuos!
Passa nec effigies fœdas, aliasque pudendas
Res coram poni, gens velut ista sinit.
Sic nempe Italiam faciunt probrisque, jocisque:
Sed quale est semen, sic quoque messis erit...
Plus cantatores sapiebant hercle vetusti,
Hi quam Pasquini Marphoriique novi.
Quæ præstas dictis mordacibus, atque jocosis,
Patria, scis risus quid valet iste novus.

Non horum at tempus... Tibi namque pecunia nulla:
Vectigalque novum te gravat usque magis.
Non ignes læti, non cursus amplius, et styx
Non ponte ex Arni conspicienda datur.
Quam mutata ætas!... epitogia nulla, cucullus
Nullus!.,. Quæ mulier suppara gestat adhuc?
Cernitur omne novum... summus re luxus in omni est...
Non talis, credo, Sardanapalus erat!...
Quid videor sic antiquis in vestibus inter
Albos ipse niger, ridiculosque gravis?
Sed tibi ne fiam nimis hoc sermone molestus,
Nunc joculatores perge videre tuos.
Eja urbem Romam, fit clamor ubique, petamus.
Romam quisque hostis, vel peregrinus adit!
Pro peccatorum venia nos ivimus illuc,
Ut veneraremur sancta sepulchra Petri;
Et Petri successores: levis atque solutus
Quisque revertebat, doctior, atque stupens.
Per vim nunc tendunt, Henrici exempla secuti,
Ut vellant sacra, et signa profana ferant.
Quod scelus admittas, nisi mutes corda, memento,
Italia, ante homines, et magis ante Deum.
Pontifici Vaticanum, mihi credito, linque:
Et, si opus est, alibi moenia conde tibi.
Quære urbem, aut struito, quæ sit loco, et aere talis,
Ut grata Ausoniis omnibus esse queat.

Si qua tibi pietas, sedes electa Vicarii
Christi Roma manet, Christiadumque caput.
Neu rapias, quod cunctorum est, statio, ara, et asylum:
Sacrilegos ausus, suppliciumque time.
Si tibi prisca animi virtus, meliora patrato,
Et partes Guelphas, si sapis, ipsa tene.
Miraris forsan quod sim mutatus ab illo
Qui quondam fueram, mens sit et ista mihi.
In cœlo, de quo veni huc, evanuit omnis
Error: coelicolis omnia vera patent.
Astrorum influxum stulte me credere novi,
Quippe Deus nutu dirigit omne suo.
Multi illic, quos exclusi de sede beata:
Multos, quos posui, non ibi comperio.
Non est judæus loco in illo, aut ethnicus, annos
In quo quinque decem pœna soluta mihi est.
Tersa igni mea lingua fuit turbam inter eorum,
Qui sunt sedem ausi vituperare Petri.
Intentam cœlo scio nunc; si nititur ullo
Terreno auxilio, sic Deus instituit.
Si parvum regnum tenet hic, non mundus eidem,
Sed Dator in pignus summus habere dedit.
Sed tanta est vobis rapiendi aliena cupido,
Ut facile cedat Sparta vel ipsa locum.
Italia, excidium vita, hacce quod arte mereris,
Si vis reginæ, non lupæ habere notam,

Virtutem libertati conjungito; factis
Egregiis verum jam tibi quære decus.
Esto sagax, concorsque simul, ne opus usque sit, ut te
Extera tutetur dura regatque manus.
Et si iterum huc ego delapsus te obiurgo, simulque
Consulo, cor tangit cura paterna meum.
Et timeo baratrum, quod pluribus esse paratum
Sentio, quos crimen, poenaque nulla movet.
Si falsos pellas ductores, meque sequaris,
Non erit ingratus, qui mihi fertur, honor.

M. A. di C.





